



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon  
Prussiae**

**Petrus <de Dusburg>**

**Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679**

Cap. CXXXI. De Morte Glapponis Capitanei VVarmiensium & subjectione  
VVarmiensium & Nattangorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11850**

Hanno de Sangerhausen VII. Mag. Gener. Ord. Teut.  
Conradus à Tierberg IX. Mag. Prov. in Pruss.

Hic à Magistro Generali vocatus ad Capitulum mortuus est in via.

(\*) Jeroschinus, Interpres Dusburgii, habet MCCLXXVII. Facit cum Jeroschino & auctor Chron. Antiq. Germ. MSS. in forma quarta, in Biblioth. Elector. Region. ut & Schuzius aliique ut dubium non sit, quin hic in Dusburgio sphalma librarii occurrat.

## CAPUT CXXX.

*De*

### Morte Henrici Monte Capitanei

*Nattangiorum.*

Post hujus Principis recessum Nattangi incœperunt trepidas re timore, ubi aliquando non erat terror. Nusquam fuit locus adeò occultus, ubi non timerent sibi periculum imminere. Undè accidit, quod Henricus (a) Montē Capitaneus ipsorum, cum quibusdam suis complicibus secessit in desertum & dum solus sederet in tentorio suo sociis suis in Venationem cœuntibus, supervenerunt ex inopinato rerum eventu fratres Henricus de Sconnenberg Commendator de Christburg, & frater Helvicus de Goldbach, cum quibusdam armigeris, & viso Henrico gavisi sunt valdè, & rapientes eum ad arborem suspenderunt & suspensum gladio transfixerunt.

#### ANIMADVERSIO.

(a) Henricus nomen undè habet vid. supra ad Cap. 84. Vocari se deinde Hercum voluit

## CAP. CXXXI.

*De*

### Morte Glapponis Capitanei VVarmiensium &

*Subjectione VVarmiensium & Nattangorum.*

Ff 2

GLAP-

Hanno de Sangerhausen. VII Mag. Gen. Ord. Teut.  
Conradus de Tierburg IX. Mag. Provinc. in Prussia.

**G**LAPPO Capitaneus Warmiensium habuit quendam Virum sibi subjectum, dictum Steinovv, quem tenerrimè dilexit. Sæpius eum à mortis periculo liberavit: sed ille immemor beneficii sibi ab eo præstiti retribuebat mala pro bonis, & odium pro dilectione. Cogitavit enim qualiter ipsum in mortem traduceret, & ut hoc posset deducere ad effectum, invitavit ipsum ad expugnandum Castrum quoddam, situm in terra Sambia, circa littus maris recentis, ferè ex opposito Castri Brandenburg, assurgans ei diem, quando cum suo deberet exercitu advenire. Medio tempore iste Steinovv venit ad Commendatorem de Kunigsberg, & factum hujusmodi prodidit, consulens ei, ut cum exercitu suo secum iret; qui annuens consilio suo, assumptis sibi pluribus fratribus & armigeris, venit, & Glapponem cum exercitu suo in obsidione dicti castri invenit, & irruens repente in ipsos omnes occidit. Sed Glapponem secum duxit Kunigsberg, & in monte, qui à Nomine suo usque in præsentem diem dicitur mons Glapponis, suspendit. Occisis ergo Capitaneis & aliis per quos bellum regebatur, Nattangi & Warmientes fidei & fratribus iterum submiserunt.

## CAP. CXXXII.

De

### Bello singulari omnium Castrorum & Civitatum terra Prussia in secunda Apo- stasia, primo de Balga.

**P**Ræmisso in Generali de Bello secundæ Apostasie (a) descendendum est ad singulare prælium cuiuslibet Castri & territorii terræ Prusciae. Unde non moveat Lectorem si aliqua

bella

